



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 120. Veneti Legati Sententia a Pontifice rogata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

quemadmodum alias consenserat de Vi- Sæcul. XVI.
centia: insuper Pontifex difficultatem A. C. 1560.
tetigit objectam continuationi Concilii,
in quo nimirum articuli jam decisi novo
examine subijci petebantur: ad hoc
vero dubium Pontifex affirmabat, quod,
etiamsi vitæ periculum incurreret, nun-
quam tamen concessurus foret, ut in
iis, quæ ad fidem spectant, ac Tridenti
definita fuerunt, vel ullus apex immu-
taretur. His dictis ita prosequabatur
summus Pontifex. „Equidem omnino
„peto, ut omni, ac plena libertate Sy-
„nodus fruatur, salva tamen Sedis Apo-
„stolicæ dignitate, ac decretorum pri-
„morum integritate: porro sumptio Eu-
„charistiæ sub utraque specie Laicis, &
„conjuges Sacerdotibus concedi qui-
„dem possunt, cum hæ tantum forent rela-
„xationes legum duntaxat Ecclesiasti-
„carum; sed videtur, mihi haud par
„esse, quod hujusmodi sanctiones, in
„aliis Conciliis firmatæ, absque novo
„Concilio aboleantur: proin hoc nego-
„tium potius ad proximam Synodum
„remittendum puto: de cetero quoad
hoc quoque punctum ab Amulio petiit,
quid ipse sentiret.

§. CXX.

*Veneti Legati sententia a Pontifice
rogata.*

G g 5

Ad

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

Pallav. l. 2.

Ad hæc Antonius Amulius Pontifici re-
spondit hunc in modum: „pluri-
mum mihi Synodum Tridenti celebrari
„probatur: mihi autem haud comperta
„est Reipublicæ sententia circa illius
„ditionis urbes, olim enim Vicentia
„concedebatur, eo tempore, quo cum
„Turcis bellum erat, nunc tamen re-
„stituta pace, Sultanus haud denuo
„irritandus est, cum facile sibi imaginari
„possit, quod in hoc Concilio de bello
„in eum movendo, aut de foedere ad-
„versus eum pangendo ageretur: Postea
de non abrogandis Sanctiõibus Tridenti
decisis Amulius hæc subjunxit, „est
„supra vires animi mei de rebus tam
„excelsis sententiam ferre, interim so-
„lum generatim novi, Aristotelem do-
„cere, quod latarum legum perpetui-
„tas adeo conferat Reipublicæ, ut ex-
„pediat eas retineri, etiam dum a
„principio illas condere nequaquam pro-
„fuit: denique de duabus relaxationi-
„bus, quas Cæsar circa usum Calicis,
„& Sacerdotum conjugia petit, respon-
„sionis loco percunctatur, num per eas
„postea hæretici ad Ecclesiæ finem
„redituri essent? Ad hoc Pontifex re-
„spondit: sat probe prospicio, quod
„Protestantes, etiamsi omnibus eorum
„petitis satisfieret, propterea tamen ne-
„quaquam erroneis suis opinionibus
nun-

„nuntium missuri sint, nec ipsemet Cæ-
 „sar ejusmodi obedientiæ sibi spem fa-
 „cit,, itaque, reposuit Legatus, si
 „sinceræ conversionis nulla superest spes,
 „potius in pristino statu res relinquendæ;
 „minime enim expedit, quod absque
 „Synodi auctoritate tam gravis in di-
 „sciplina Ecclesiastica fiat mutatio.,,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1560.

§. CXXI.

*Zacharias Delphinus Nuntius a Papa
 ad Cæsarem ablegatus.*

Cum ergo Pontifex totam deliberatio-
 nis summam ad Germanos redigi
 haud obscure intelligeret, alium Sedis
 Apostolicæ Nuntium ad Cæsarem ab-
 legare statuit, ut juncta cum Hosio opera
 Imperatoris animum inclinaret, & Hæ-
 reticos ad Ecclesiæ finem reduceret,
 nec non Catholicos in Orthodoxa fide
 confirmaret. Ad hanc legationem ob-
 eundam selegit Pontifex Zachariam
 Delphinum Pharenssem Episcopum, qui
 hoc munere jamjam sub Julio III., &
 Paulo IV. defunctus Ferdinando perca-
 rus erat, ejusque negotia apud Pontifi-
 cem nuper vivis ereptum procurabat:
 huic igitur erat injunctum, ut maxi-
 mam Synodi Tridentum revocandæ ne-
 cessitatem exponeret, eoquod omnes
 ceteri Principes hanc urbem gratam
 haberent, ac certo certius in Germania

Pallav. c. 4.
 num. 8. &
 seq.